



*Justin Pankter,  
2-11-1890.*

*1917, 17  
22*

GEORGII WOLFFGANGI  
WEDELII,  
HEREDITARII IN *Schwarza/*  
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI  
CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM  
CONSILIARII ET ARCHIATRI,  
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,  
FACVLTATIS MEDICÆ  
DECANI,

*Propempticon Inaugurale*  
DE  
MORBO IORAMI REGIS  
IVDAE.

IENÆ,  
LITERIS KREBSIANIS.

*Joh. Sam. Krebsianus*

*1717.*

*252. Class. 21/18*







# I. N. I.



On vno nomine maxime notabilis occurrit in sacris morbus Iorami Regis, non Israelis, sed Indæ, filii Iosaphati primogeniti; siue prædictionem attendamus fatalem, siue morbum ipsam, eiusque pathologiam vniuersam, quod meretur quam maxime.

Admiranda est prædictio facta ab Elia propheta, non amplius in terris existente, nec mortuo tamen, sed viuo in cælum euecto. Et quidem non per mandatarium, vel oretenus, sed per literas, seu scripturam. Verba *Paralip. Libr. I. c. 21. §. 12.* hæc sunt ex versione Bagnini: Peruenit autem ad eum scriptura ab Elia propheta, (vt communiter putatur commissa Elia, Elia discipulo & successori,) in hanc sententiam, quantum ad nostrum scopum; Sic dixit Ichoua ( præmissa causa impulsiva, & propheta pænæ vniuersi populi generali, totius familia, & indiuiduali hinc morbi, & mortis: ) Tu autem eris in infirmitatibus multis, id est in infirmitate intestinorum tuorum, donec egrediantur intestina tua præ infirmitate per singulos dies, id est, quotidie.

Hæc vt de prædictione, ita refertur porro complementum, seu effectus euentus, eiusque tempus & modus, quo



quo de, ne reliqua, minus iam nostræ considerationis, delibemus & tractemus, vt fori politici & historici magis: v. 18. & 19. textus ita habet:

Et posthæc omnia percussit eum lehoua in intestinis eius infirmitate, cui non erat medela. Fuit autem, post multos dies, maxime post, quam venit finis illorum duorum annorum, egressa sunt intestina eius cum infirmitate eius, mortuusque est infirmitatibus malis.

Concinunt textui huic authentico, non solum interpretes Græci, sed & Iosephus l. 9. Antiq. Iud. c. 2. p. 307. generalibus expressionibus, qui confirmat prædictum moriturum ἰσθίον τῆς νηδύος, quod proprium nomen est τῆς κελύκοις κοιλίας, infimi ventris, eoque dolorifico, ἑπὶ πολλὴ βασανισθεὶς, multum tortus & cruciatus lento ventris profluuiio, intestinis paulatim simul effluentibus, nullatenus curabili.

Vnde nec lentum ventris profluuium negatur, & mentio facta τῶν ἐντέρων ἀντὶ δι' ὑπερβολὴν τῆς τῶν ἐντος διαφθορᾶς ἐκρυσθῶν, intestinorum simul paulatim effluentium, & quod longo tempore ægotauerit. Potissimum verò τὸ θεῖον ipsum eis τὴν γαστέρα αὐτῶν τὴν θρηνην, diuinum in intestina eius attulisse iram, vnde miserabili & propudiosa morte obierit, cum excretionem videns, quotidie per ventrem intestina defluere, πληγὴ μεγάλη, plaga magna, & μάλα κίερα πονηρᾶ, langore maligno.

Hæc, vt diximus, paulo generalius quidem, sed ad vltterius ratiocinandum magis, adduximus, neque enim sic potest deprehendi affectus formalitas, quin egeat speciali disquisitione medicæ, qua demum præmissa rectius possunt & hæc recensita applicari quoque magis. Enimvero licet hæc forum Theologicum quoque concernant non vno titulo, vti etiam, sub præsidio D. Sebastiani Schmidii, habita est Argentorati dissertatio Theologica de Epistola hac Eliæ ad Ioram Regem Iudæ, satis egregia; atramen morbus ipse omnino considerationis est medicæ, sine qua nec intelligi satis potest, vel explicari sufficienter, quod ipsum coramur pro virili eruere & seiscitari.

Summar. sicut in libro, v. 18. & 19. textus ita habet: sunt, v. 18.



Sunt, qui non vnum aliquem morbum assignant ac determinant, sed quendam potius concursum, vel, vt medici vocare amant, complexum. Alii *To Sēiv* venerantur, quod *Ios' phus* ipse non omittit, sed vti hoc verissimum est, tum a priori, tum a posteriori; hoc ipsum tamen non certum aliquem definit & solum morbum, sed pluribus est commune quoque.

Alii de egressu intestinorum mentionem de hernia interpretantur, verum manifesto distincta sunt, herniae propriae dictae & procidentiae, illae enim tectae sunt, sed intesta habent & obiecta, etiam si extra cauitatem abdominis locata, intestina, secus nuda viscera, vel intestinum, procidentia ani vterique. Vtrobique egressus est intestini, vel partis alterius, sed de herniis non nisi latius & *αίσιπος* potius pradicantur, egressa enim intestina quidem sunt extra sphaeram suam, sed non extra continentem partem.

Et hic meminisse possumus, alia in morbis concurrentibus primario foco attendenda, seu principali, alia secundario, quod de dictis ex parte valet, minus tamen confundenda quoque. Sic spectant huc accessoria *ἐπιρυνώμενα*, de nouo accidentia, nona emergentia.

Vti enim notissimum est, posito vno inconuenienti poni plura, ita maxime idem verum est de genere vniuerso morborum in corpore humano. Facemus apud alios quoque nominari tenesmum, colicam, ne enim ipsum, quod olim vtrumque nominabant ante *Galenum* hunc affectum, laudemus.

Sed prius, quam de morbo vterius dicamus, non parum conferet, sed maximum momentum erit, lustrare subiectum. Ipsi Spiritui sancto placuit nominare in plurali, infirmitates multas, quae nullibi magis quadrant, quam ventri infimo, cuius potissimam partem absoluunt intestina, sexies vtplurimum assequentia longitudinem totius corporis, vt homo trium vlnarum intestina obtineat vlnarum octodecim, quod & in vrfio notatum est.

Nulla hinc pars corporis magis morbis obnoxia, usque variis, symbolicis & asymbolicis, quam ipse infimus  
hinc



hinc venter, ab ore ipso summo ad infimum longissimo termino, itinere, anfractibus constans. Et ipsum hinc in textu intelligi & affectum putandum esse sine vlllo est dubio, seu viscera, seu intestina, seu, vt LXX. vertunt, ipse venter, *νοδία*, continens totum pro contentis accipiatur, quod idem & de reliquis duobus predicatis sunt qui valere volunt, neque penitus inconcinnum est quoque, vt post videbimus. Notandum interim, vocem hanc apud *Coum* non vno loco pro intestinis poni.

Subiectum itaque morbi, seu affectus, vt medicis terminis loquamur & efferamus, principale sunt, vt plerique & potiores interpretes rectissime reddunt, intestina. Adequatam totus venter infimus, non supremus eo respectu dictus, vi caput nuncupatur, nec medius, qui thorax audit, sed tertius non ordine, quo intuitu laboratorum primum potius est, & prima etiam via eo nomine vulgatissime audiunt.

Si vero, quisnam essentialis hic ex intestinorum morbis fuerit Iorami Regis hic, qualisque & quantus, hoc est *νενοσαστος*, & decidi curatius meretur.

Si vel Methodicorum laxum & strictum attendere sustineamus, quod pra alii ventri infimo quadrare in morbis videtur, textus omnes circumstantiae pro priori loqui & stare videntur. Si circumstantias easdem in se intimius pensitemus, formale huc fecerit praecipuum, memorata infirmitas in suo sensu considerata. Haec enim consistere, seu in singulari, vi literae ipsius, seu in plurali spectetur, asseritur, infirmitas inquam, in recessu puta saltim, in *retinendo*, quando assumpta inibi non sufficienti temporis spatio hospitantur, ocyus debito solito, naturali, statui dimissa.

Infirmitas porro in *excernendo*, quicquid enim egreditur, vt hoc loco praedicatur, & in *excessuendo* peccat, vel excedit etiam eo ipso, idem citius dimittitur, seu dimittendo excretum, nedum excernendo ad dimittendum, ad exeundum inuitatum.



Infirmitas in *continuando*, eo ipso opere & processu; dum enim non retinetur, dum excernitur, a potiori faciendo denominationem, eo ipso redit labor actus in orbem, continuari innuitur de die in diem, continuo, indefinenter.

Et sic velut paradoxon dici & dari potest: Quod caret alterna requie, tantum abest, ut vero sensu durable non sit, ut potius idem ipsum eueniat, & contingat, & sic. Infirmitas & maior sit & *continua*, in excernendo & dimittendo, genuino sensu, per dicta, & diuturna, molesta, & tandem in tristem euentum abitura.

Si vel hæc sola iam applicemus ad scopum nostrum, ad emphasin textus declarandam maximopere id facit. Enimvero ex his tanquam essentialiter inhærentia inuenimus, sole meridiano clarius, signa pathognomica in generali & laxiori sensu communi, vno verbo *Alui infirmitatis*, seu profluuii.

Præfari hæc volumus, occasione Disputationis Inauguralis de OPOBALSAMO Clarissimi & Dignissimi Medicinæ Doctorandi

## IOANNIS SAMVELIS HEINSII.

In hanc lucem editus est in vrbe LONGO-SALISSA in Thuringia sita, Anno superioris Seculi nonagesimo primo, ipsius Mensis Decembris Calendis, PATRE Nobilissimo & Experientissimo JOHANNE MICHAELE HEINSIO, Medicinæ Doctore & Practico illius loci celeberrimo: MATRE CHRISTINA MARGARETHA, Vili plurimum reuerendi Dni. M. IOHANNIS OLPHI, Diaconi ad templum diuini Stephani longe meriti sumi, *vñ in dyiois*, filia.

Prima horum Parentum dilectissimorum cura fuit, ut statim relictis nucibus Doctrina Christiana pura non minus ac pietatis veris fundamentis filium suum imbuerent, non neglectis tamen iis, quæ ad linguam Latinam aditum parare possunt.

lactig



factis itaque hoc modo in schola Patria sub Rectore Clarissimo M. CHRISTIANO MICHAELE FISCHBECKIO, & Conrectore, IOACHIMO KEVLINGIO, primis eruditionis rudimentis, ad celebre illud Gymnasium, quod PORTÆ floret, missus, ibi fidelissima manu ductione Amplissimorum Præceptorum M. JOHANNIS GOTTLOB HARTMANNE, Rectoris, p. m. M. CHRISTIANI HEIDERI, Conrectoris, M. SIGISMUNDI SCHRAMMII, Collegæ Tertii, IOHANNIS CHRISTIANI MAU, Cantoris, & M. JOHANNIS CHRISTIANI WEIDNERI, vsus, dulcissimo bonarum artium melle, per sex omnino annos imbutus est.

Anno vero huius seculi vndecimo, Mense Septembri, post, quam cum præceptorum consensu non minus ac bono testimonio stipatus Porta valedixisset, nostrum Musarum domicilium, quod Jenæ floret, adiit, vbi Pro-Rectore Magnifico D. JOANNE HADRIANO SLEVOGTIO, Hereditario in Ober-Rosla, Anatomix, Chirurgiæ & Botanices Professore Publice Excellentissimo, in numerum civium receptus est.

Vt vero magis magisque ad studium medicum maxime incipiendum præpararetur, in Physicis & cursu Mathematico ex ore pependit B. GEORGI ALBERTI HAMBERGERI, Philosophiæ Naturalis & Mathematicum Professoris Publici, cuius singularem fidelitatem deprecatur.

His præmissis ipsam salutarem artem aggressus nosmet ipsos præeuntes habuit, dum non modo publice omnibus ordinariis lectionibus, nominatim *amanitarum Materia Medica, Pharmacia acroamatica, Pathologia, Methodi Medendi &c.* Sed & priuatim *Materiali super Syllabum & Macasium, Demonstrationi Bibliotheca, de formulis prescribendis, politica Medica &c.* interfuit, & non paucam exinde utilitatem percepit.

In Botanice & Anatomicis Præceptorem habuit laudatissimum Magnificum hodie ProRectorem, IOANNEM HADRIANVM SLEVOGTIVM, quo & comitante excursionones publicas botanicas, & anatomiam publicam cadaueris femineæ, operationes chirurgicas simul subeuntis, non absque emolumento suo frequentavit.

Non



Non minus vero Prælectiones Excellentissimi præceptoris & olim Hospitis humanissimi, D. IOHANNIS ADOLPHI WEDELII deprædicat, dum priuatim in *Physiologia, Institutionibus, Semiotica, methodo medendi &c.* publice vero in *medendis Febris, morbis capitis, pectoris, externis & mulierum* disciplinæ ipsius alumnus exstitit.

In Exercitio Disputatorio non raro se exercuit, & opponentis munus subiit, Respondentis vero in Dissertatione publica de *SYNCOPE & LIPOTHYMIA*, ad Praxin nostram clinicam spectante, sub nostro Præsidio habita, quam strenue & non sine applausu defendit.

His itaque omnibus ita factis, vt Parentis optimi voluntatem impleret, Ienam reliquit, & celebriores Saxonix vrbes, & in ipsis Medicos celebriores visitauit: quos inter, ab multa in se collata beneficia non reticendus hic est Nobilissimus D. HUNDERTMARCK, Zizæ florens, apud quem per IV. Menses commoratus praxi eius certe longe lateque se diffundenti non absque fructu adliit.

Hinc domum reuertens, sub manu ductione Parentis ipsam praxin Medicam aliquandiu auspicatus, vnde nuper, iussu eiusdem & Patronorum, ad capeffendos honores redux ad nos factus, modeste nomen Facultati professus ad Examina consueta ex merito admissus, perquam strenue se gessit, ex voto satis fecit, & iam in eo est, vt disputationem inauguralem, ad d. VI. Octobris sub Præsidio Magnifici Pro-Rectoris de OPOBALSAMO publice defendat.

Huic Panegyri vt Magnificus Dn. Ex Pro-Rector, Venerandus Senatus Academicus, & omnium ordinum Nobilissimi Hospites interesse dignentur, perofficiose & humanissime nomine Facultatis contendo rogoque. PP. sub sigillo Facultatis. Ienæ M DCC XVII. d. III. Octobr.

(S. L.)











Jena, Diss., 1717


(X 2583 127)

V078









Farbkarte #13

B.I.G.

GEORGII WOLFFGANGI  
WEDELII,

HEREDITARII IN Schwarka/  
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI  
CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM  
CONSILIARII ET ARCHIATRI,  
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARI,

FACVLTATIS MEDICÆ  
DECANI,

*Propempticon Inaugurale*  
DE  
MORBO IORAMI REGIS  
IVDAE.

IENÆ,  
LITERIS KREBSIANIS.

Gustav Pankter,  
24.1.1890.

1717, 17

22

262. Class. 21718

